

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

4.
2
CHRISTI
EXALTATIONE,

Ex Matth. c. XXVIII.

Quam
ΣΥΝ ΘΕΩ

AC
P R Æ S I D E
JOHANNE CHRISTOPHORO
PFAFFIO,

SS. Theol. Doctore & Professore Publ.
Ord. Ecclesiæ Tubingensis Decano ac Illustris Stipendi
dii Theolog. Superattendente,

*Domino, Mecenate ac Patrono suo humillime
Devenerando,*

Ad disputandum proponit
L. Hque C.

Die 15. Septemb. Anno M DCC XIX.

RESPONDENS,
M. JOHANNES GERHARDUS KAUFFMANNUS,
Sacrarum Literarum in Seminario Theol. Tub. Cultor & Vicar. in Ecclesiâ
Degerfchlachtensî ac Sickenhusanâ.

TUBINGÆ,
Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

J. K. W. G.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

CHRISTI EXALTATIONE

Ex Matth. c. XXVIII.

AVCTOR

ZINZIN

AC

P R A E S I D E

IOHANNI CHRISTOPHORO
PEAFFIO,

SS. Theol. Doctor & Professore Publ.

Ord. Ecclesiae Tubingensis Decano ac Illustri Spen-

di Theolog. Superintendentente

Domino, Abbatate ac Patrono suo humillime

Reverenti

Ad dispensandum presentis

libri

Tit. II. deum, seu in Doctor

Reverenti

M. JOHANNI GERHARDO KAYMANNUS

Magist. Theol. in Seminario Theol. Urb. Ceter. & Vicar. in Lubeca

Magist. Theol. in Seminario Theol. Urb. Ceter. & Vicar. in Lubeca

TUBINGAE

THOMAE JOSEPHI SIGMUNDI



Caput XXVIII. Matthæi.

ŷ. I.



Ero, Quia Christus summo surrexit mane Marc. XVI. 2. Luc. XXIV. 1. Joh. XX. 1. *ὅψε* h. l. non notat *vesperi*, uti alias absolutè positum adverbialiter tempus significat vespertinum. Hoc ipso autem loco, quo cum casu constructum genitivo præpositionis vicem subiit, temporis fluxum significat, eumque serum atque extremum, ut *ὅψε τῆς καιρῶς*, *ὅψε τῆς ἡμέρας*, *elapsâ occasione*, *elapsâ horâ*, & apud Plutarchum: *ὅψε τῆς βασιλείας χρόνων*; *post tempora regis*. Ita & h. l. in extremo s. sero sabbathorum s. sabbathi magni fine, conf. Marc. XVI. 1. Diem vero numerare oportet non à vesperâ ad vesperam more antiquo Ebræorum, sed receptâ potiùs Romanorum Judææ tum dominantium consuetudine, ab ortu solis ad ortum sequentem, uti ex voce sequenti dispalescit, *illucescente* s. *horâ* s. *die*. Exemplo harum fœminarum & nostra anima ad DEum vigilet mane. Ps. LXIII. 1. in unam feriam Joh. XX. 19. eamque primam

Marc. XVI. 9. sc. in diem solis s. Domini Ap. I. 10. illo die suscitati. Uti unum sæpe idem est ac primum. Gen. I. 5. VIII. 5. Hag. I. I. Ez. X. 11. 14. Neh. VIII. 2. sabbathorum, s. sequentis septimanæ. In honorem sabbathi tota septimana dicebatur sabbatum. Luc. XVIII. 12. imò singuli dies sabbatha. Act. XX. 7. I. Cor. XVI. 2. uti & nos alias omnes hebdomadis dies vocamus ferias, venit, secundâ vice, Maria Magdalena & altera Maria, mater Jacobi, ut & Salome Marc. XVI. I. & Johanna, &c. Luc. XXIV. 10. videre sepulcrum & ungere Christum. Marc. XVI. I. Hoc charitatis officium, nec reliquiarum cultum religiosum stabilit, nec electios quoscunque alios, sed modo constantis ad tumbam usque præbet exemplar amoris. Prov. XVII. 17.

ÿ. 2.

Et ecce rem stupendam, conf. Matth. I. 23. terræ motus factus est magnus, quantus obtigerat quoque in educatione Israelis ex Ægypto. Pf. CXIV. 4. 6. 7. in morte Christi. Matth. XXVII. 54. & in liberatione Pauli ex carcere. Act. XVI. 26. Et in hujus loci terræ motu, Christum, uti fuerat natus clauso utero matris, conf. Ez. XLIV. 2. Matth. I. 23. & ingressus clausis januis ad discipulos. Joh. XX. 19. ita & sepulcro adhuc clauso resurrexisset, pii Veteres crediderunt. Justinus Q. CXVII. f. m. 469. Gr. Nazianz in Christo Patient. f. 519. Nyssen. Orat. II. de Resurr. f. 151. Ambros. in Luc. XXIV. T. V. f. m. 167. 168. Chrysost. Homil. LXXXVI. in Joh. XX. Tom. III. f. m. 271. Hieron. ad Hedibiam q. 6. Tom. III. f. m. 145. August. d. Agon Christ. T. III. f. m. 772. Bernh. Serm. I. d. Pasch. f. m. 165. Quod agnoscunt quoque Calvinus in Harmoniâ & s. h. I. Marloratus ac Musculus f. 677. Si verò non resurrexisset Christus virtute divinâ ex sepulcro adhuc clauso, sed per Angelum,

ut inde exire posset aperto, quomodo ex resurrectione potuisset declarari filius DEI? quod tamen Paulus asserit. Rom. I. 4. Deinde, quod resurrexerit Christus ante saxi sepulcralis remotionem, docet porro hæc historiæ Evangelicæ series. Angelus enim Domini è cælo. Luc. XXII. 43. Gal. I. 8. descendit de cælo, unde Angeli boni usque veniunt. Dan. IV. 10. 20. Joh. I. 51. V. 4. & accedens revolvit obvolutum à Josepho. Matth. XXVII. 60. lapidem. *Angelus Domini descendens de cælo, accedens, removit lapidem, & sedit super illum: est enim avertit illud: Angelus enim descendit, revolvit lapidem, non ut Christus resurgeret: impiè illud ajunt, si qui tenent, quod Maldonato, sed maledico autore habemus, jam enim surrexerat, nec erat illi opus ministerio Angelorum ad surgendum, nec terra motus removendo inserviebat lapidi, expressè dicitur Angelus removisse. Ideo autem terra motus fiebat, ut experrecti custodes & tremefacti vel invitati magnalia Domini predicarent.* Hæc Montacut: Orig. Eccles. p. 447. & sedebat super eum, Luc. XXIV. 4. duo Angeli leguntur ἐπιστάται, quod non tantùm stare notat, sed & supervenire. Adeo gloriosa Christi erat resurrectio.

ψ. 3.

Erat autem aspectus ejus ut fulgur, quod symbolum summæ in Angelis bonis puritatis. Luc. II. 9. Act. I. 10. Ap. VII. 13. XV. 6. & vestimentum ejus album ut nix. Uti vero in Christi resurrectione hic Angelus adeò splendide comparuit, ita in resurrectione etiam futurâ corpora nostra Angelicis amicta qualitatibus splendebunt. Matth. XIII. 43. XXII. 30. I. Cor. XV. 41. 42. 44. 46. Ap. III. 4. 5. 18. VI. II. VII. 9. 13. 14.

ψ. 4.

Præ timore autem percussi sunt ad deterrendos Christi discipulos missi custodes, Terrori sunt mortalibus Angeli

geli boni, conf. Prov. XVII. II. II. Macc. III. 26. 27. & facti sunt velut mortui. Magna vis pavoris. conf. I. Sam. XXV. 37.

v. 5.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus, ulterius progressis Angeli supervenerunt duo. Luc. XXIV. 4. nolite uti milites illi Romani timere & vos, timidos ita erigere Angeli consueverunt boni. Gen. XXI. 17. Judic. VI. 23. Dan. X. 12. Luc. I. 13. 20. II. 10. Scio enim, quod Jesum crucifixum quæritis. Qui DEum quærent, non habent, quod timeant, Ps. III. 7. XXIII. 4. XXVII. 1. 2. 3. CXVIII. 6.

v. 6.

Non est, cadaveris ad instar, quale uncturæ quæritis Luc. XXIV. 5. hîc visibiliter, palpabiliter, localiter, addit enim Angelus notanter: *videte locum ubi positus erat*. Præsentior atque proximior Christus mulierculis fuit, quàm ipsæ putârant. Deinde & Deus dicitur non tantum *discedere*. Hof. IX. 12. sed & *abesse*. Deut. I. 42. in vento, igne, &c. I. Reg. XIX. II. Ergone Deum quoque esse omnipræsentem negabis? nam non est furto ablati, sed surrexit propriâ virtute. Joh. II. 19. X. 18. uti dixit, Principium fidei est solum Dei verbum, ad quod h. I. Angelus quoque Articulum fidei de resurrectione Christi adstruatur provocat. Matth. I. 18. 22. Gal. I. 8. venite & videte. Hinc Turrerinus probare vult, quod aliquis sit usus testimonii sensuum in Mysteriis fidei. Part. I. Theol. Elencht. p. 40. Verum enim vero visus illarum foeminarum non penetravit Mysterium resurrectionis, solum complexus locum, qui suberat sensibus, quo etiam corpus Christi ex indole actusque naturæ suæ fuerat circumscriptum. ubi nudius tertius positus erat Dominus, Christus

Christus est Dominus non tantum natus 2. Sam. VII. 19. Matth. II. 6. sed & per resurrectionem declaratus. Rom. XIV. 9. quin & ab ipsis Angelis agnitus. Luc. II. 11.

v. 7.

Et cito euntes, Tristes atque timidi maturius sunt erigendi, nec tarda Deo placent officia. conf. Jes. XXXV. 4. XL. 1. dicite non pontificibus obstinatis, quibus porcis hæc margarita neutiquam obijcienda, sed discipulis ejus dispersis ac attonitis, quod surrexit. Quid discipulis metu prope exanimatis dulcius afferri potuisset evangelio de vitâ Magistri. Joh. XIV. 19. 1. Thess. IV. 14. & ecce præcedet vos. Hoc antecessu omnipræsentiam Christi etiam exaltati sollicitat Nahum, in Conc. p. 356. At vero ipse Deus immensus legitur præire. Ex. XIII. 21. & sic filius Dei quoque ubique præsentissimus præcessit discipulos visibiliter in Galilæam, cunctantibus quidem apparuit prius Hierosolymæ, quo ipso plus præstitit, quam promiserat. ibi eum videbitis, in maximâ frequentiâ sc. quingeni. 1. Cor. XV. 6. ecce prædixi vobis, Angeli B. præcones sunt tum voluntatis divinæ. 2. Reg. I. 15. Dan. IX. 23. tum futurorum eventuum. Luc. I. 13. 30. 31. Apoc. I. 1.

v. 8.

Et exierunt cito, Obsæquia decent impigra atque matura Judic. XIII. 10. Coh. IX. 10. Dan. III. 22. Matth. V. 25. Joh. XI. 29. 31. de monumento cum timore ob visionem. conf. Phil. II. 12. & gaudio magno, ob compertam resurrectionem Crucifixi Luc. XXIV. 41. Uti cælum rarò est sine nube, sic gaudium nostrum nunquam non metu turbatur ac adversis. Ps. II. 11. 2. Cor. VI. 20. 1. Thess. I. 6. 1. Pet. I. 8. IV. 13. currentes nunciare discipulis ejus, ita ut præ festinatione

ne

ne cuiquam in viâ quid de resurrectione Christi dixerint. Marc. XVI. 8. Uti festinantibus obvios ne salutare quidem licuit. 2. Reg. IV. 29. Luc. X. 4.

ψ. 9.

Et ecce JESUS fit primum obvius, summo mane quaerentibus illis, uti promiserat: *Mature quaerentes me inveniunt me.* Prov. VIII. 17. dicens avete, χαίρετε Gaudii spiritualis Auctor est Christus qui id fidelibus non tantum promeruit, sed applicat quoque, Joh. XV. 11. XVII. 13. illæ autem accesserunt, sui quidem amplexum Christus Mariæ prohibuerat. Joh. XX. 17. illa vero interdictio postne illum reliquarum foeminarum accessum contactumque fuerit facta, an ante, non liquet. Quicquid autem sit, quod Christus vetuerit sui attrectatum pro illo tantum momento ex additâ patet ratione: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*; ac si vellet dicere: Me tibi præsentem habebis adhuc dies plures, quæis me osculari vacavit, quid E. moras necis amplexibus his intempestivis; *vade potius & ocyus ad fratres meos & dic.* Deinde interdictis Christi ne fideles quidem semper paruerunt Matth. IX. 30. Marc. VII. 36. non est itaque mirum, quod hæ quoque foemina nihilominus accesserunt & prehenderunt pedes ejus. uti pridem alia Maria, Luc. VII. 38. 39. & Sunamithis Elisæ genua comprehendit, 2. Reg. IV. 27. & Circe Ulyssis λάβε γούνων apud Homer Odyss. X. Nil hæc ad pedes Pontificis R. sed ad Christum omnia faciunt fide amplectendum Gen. XXXII. 26. Cant. III. 4. & adorarunt eum, θεάνθρωπον unâ eademque adoratione. Dan. VII. 14. Joh. V. 23. 27. Coll. II. 9. Phil. II. 9. 10. II. Matth. II. II. vid. Digniss. D. D. Buddæi parerg. p. 534.

ψ. 10.

Tunc ait illis JESUS repetens atque confirmans ea, quæ
jam

jam injunxerat Angelus, *ψ.* 7. Nolite timere, Leo ex Juda redivivus mera solatorum fudit mella. Cant. V. 13. Jes. L. 4. nunciate extraordinariè, ordinariè autem foeminis in Ecclesiâ est tacendum. I. Cor. XIV. 34. I. Tim. II. II. fratribus meis, non ex eâdem matre natis, ut Helvidio visum, nam & cognati audiunt fratres. Gen. XIII. 13. XXIX. 15. Quin imo Christus hoc nomine omnes discipulos fuit dignatus, omnesque fideles. Ps. XXII. 23. Rom. VIII. 29. Eb. II. II. 12. 17. ut eant in Galilæam, unde venerant, *ibi me*, clarificatum, videbunt, per dispensationem. conf. Joh. XVI. 22. *ψ.* II.

Quæ cum abiissent, obsequenter ac alacriter, ecce quidam de sepulcri custodibus, jam venerunt in civitatem, attoniti ac fugitivi. Quotiescunque enim tollebatur arca, clamavit Moses: *Surge, Domine, & dissipentur hostes tui.* Num. X. 35. Ita & Christi resurrectione omnes sepulcri custodes in fugam acti sunt. conf. Ps. LXVIII. I. & narraverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta sunt, Mirabili Dei sapientiâ sæpe evenit, ut conducti veritatis oppressores in ejusdem abeant testes. Gen. L. 19. Job. V. 12. 13. Dan. III. 26. VI. 22. 23. *ψ.* 12.

Et cum convenissent cum senioribus, Colluviem conventus & multitudinem errantium detestemur. Ex. XXIII. 2. Jes. V. 18. Act. IV. 26. consiliumque habuissent. Talia sunt consilia malignantium. Ps. LXIV. 6. 7. LXXXIII. 4. pecunias, utut aliâs satis avari ac tenaces. Matth. XXIII. 14. Luc. XVI. 14. prævalente tamen contra Christum odio, multas dederunt militibus. Tanta sæpe & tenacium odia sunt, ut nullis parcant sumtibus, Matth. XXVI. 14. 16. *ψ.* 13.

Principes sacerdotum Doctorem veritatis dixerunt quidem

seductorem. Matth. XXVII. 63. sed seductores erant ipsi. Jes. IX. 16. Nam non tantum induxerunt populum, ut pro latrone intercesserit, Matth. XXVII. 20. testesque subornarunt falsos, Matth. XXVI. 59. sed militibus quoque mendacia inspirarunt ac calumnias, dicentes: dicite, hoc callide jam ante Pilatum dixerant ipsi. Matth. XXVII. 64. discipuli ejus nocte venerunt, quis hoc presumpserit de hominibus plenis formidinis, qui ne unicam quidem horam vigilare potuerunt, sed Magistro adhuc vivo se jam abstulerant fugam. Quinimo si corpus ejus furari voluissent, non expectassent, donec sepulcrum cingeretur custodia, sed prius id precedente sc. nocte accurassent, cum tutius ac sine tanto periculo id negotii conficere licuisset. & clam abstulerunt eum. Multo minus probabile hoc fuit; Sepulcrum enim ex solidam erat Petra, grandique saxo premunitum, & tot militibus circumseptum, per quos penetrare non evigilantes, saxumque revolvere ipsis non observantibus inermes discipuli vix ac ne vix quidem valuerunt. nobis dormientibus, si dormiverunt, quomodo predones cernere potuerunt ac dignoscere, quod sint ipsi discipuli crucifixi, si non dormiverunt, sunt mentiti. Tantis calumniis, S. Martyres, & alii fideles Christi confessores in hunc usque diem sunt proficisci. I. Cor. IV. 12. vid. Dannhaueri Drama p. 566. & praesertim D. Kortholt d. Calumn. Pagan.

y. 14.

Etsi, de incuria vestra ac negligentia, quod sepulcrum non custodivistis, quid auditum fuerit sub praeside, i. e. durante adhuc Pilati praesidio. nos persuadebimus, & imponemus illi, ut pacatus sit. Impii e peccato in peccatum ruunt, ut peccata inde cumulentur, tum propria tum participationis. conf. Ps. LXIX. 28. & tutos, s. impunes vos reddemus. Spes impunitatis calcar peccatoribus addit, ut in malo temere ac intrepide grassari pergant audentque brevibus gyaris & carcere digna. Coh. VIII. 10.

y. 15.

ŷ. 15.

At leves illi, homines, qui veritatem ultro enarraverant
 ac candidè v. II. acceptâ demùm pecuniâ corrupti fecerunt,
Quo non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Pl. LXVIII. 31.
 Syr. VII. 3. I. Tim. VI. 10. 2. Pet. II. 13. 15. sicut erant edocti,
 in eâdem mendacii formâ à sacerdotibus suggestâ perstiterunt.
 & divulgatum est verbum id, de corpore Christi à disci-
 pulis ejus furtim ablato. apud Judæos, Utut hoc mendacium
 Pontifices per emissarios pervulgarint inter Judæos, Justino M.
 teste, Respons. ad Quæst. CVIII. f. m. 463. Josephus tamen ipse
 Judæus contrarium testatur, *quod Christus crucifixus apparuerit
 tertiâ die vivus.* Lib. XVIII. Antiqq. Judaic. c. IV. f. m. 484.
 usque in hodiernum diem. Ex justo Dei fit judicio obstina-
 tos & occœcatos credere mendacio, 2. Thess. II. II.

ŷ. 16.

Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam,
 ubi tutioribus esse licuit, quàm Hierosolymis, & ubi unâ D. di-
 scipuli comparuerunt. I. Cor. XV. 6. in montem, forte Tha-
 bor, ubi pridem apparuerat suis transfiguratus, nunc exaltatus
 ac magis gloriosus Matth. XVII. 1. Quotquot cum ipso resurrexi-
 mus ad superna pariter contendamus. Col. III. 1. ubi constituit
 illis Jesus, Matth. XXVIII. 10. Quo Jesus vocat revocatque, se-
 quamur. Pl. CXIX. 27. 32. Jer. I. 7.

ŷ. 17.

Et cum vidissent, ex divinâ dispensatione, illum, Filium
 Dei sui resurrectione declaratum Rom. I. 4. adoraverunt eum,
 juxta naturam quoque humanum, cui omnis data potestas. ŷ. 18.
 quidam verò, ex quingentis I. Cor. XV. 6. dubitabant. Alii
 itaque in ipso Ecclesiæ cœtu sunt fideles, alii increduli. conf.
 Act. II. 13.

ŷ. 18.

Et accedens, propiùs, ut omne ipsis dubium eximeret, Jesus, linum fumigans non extincturus: Jes. XLII. 3. locutus est eis, quod ex eadem causâ fecit post resurrectionem suam alibi quoque. Luc. XXIV. 39. Joh. XX. 19 - . dicens, ad pleniorum discipulorum informationem: Data, in tempore, ante ascensionem tamen, imò ante passionem. Matth. XI. 27. est, per unionem personalem, Joh. I. 14. Col. II. 3. 9. & nihilominus etiam à Patre. Joh. XVII. 2. Mihi, juxta humanam naturam, Dan. VII. 13. Ap. V. 12. Hanc enim contra passionis offendiculum Christus h. l. ab omnipotentia commendare intendit. *omnis*, *πᾶσα*, quam quâ *λέγος* per generationem habui ab æterno, Joh. XVII. 2. Qui *omne* dicit, nihil excludit potestas, *ἐξουσία* divina. Blasphemum est in Deo arctiorem *δύναμιν* fingere *ἐξουσία*, quæ se extendat non ad omne id, quod licet. Unde hæc ipsa *ἐξουσία* in cælo & in terrâ *δύναμις τῶ θεῷ* vocatur. Luc. XXII. 69. & cum eâ conjungitur. Luc. IV. 36. Eph. I. 21. I. Pet. III. 22. Ap. V. 12. Quinimo hæc *omnis cælo terrâque potestas*, ceu basis Ministerii Evangelici, ceu causâ cultûs sui divini, obedientiæque præceptis suis præstandæ, ceu fundamentum fœderis baptismalis, ceu origo præsentis suæ catholicæ in Ecclesiâ, allegatur à Christo, v. 17. 19. 20. E. Potentia divina ac infinita intelligitur in cælo & in terrâ, i. e. universim; Hæ enim voces non limitant sed ampliant naturæ in Christo humanæ *βελτίωσιν*, uti ad describendam Majestatis divinæ amplitudinem sunt adhibitæ Pf. CXXIV. 8. Gen. XIV. 19. Dan. VI. 27. Matth. XI. 25. Act. XVII. 24.

ŷ. 19.

Euntes, Missio omnium ac singulorum Apostolorum fuit æqualis, ergo, quòd tantâ mittendi facultate fungor ac polleo, instruite, *μαθητεύσατε, μαθητεύειν* propriè est *discipulos facere*,
 conf.

conf. Matth. XXVII. 57. cum Joh. IV. 1. Act. XIV. 21. i. e. Christianos, Act. XI. 26. quod fit tam per βαπτίζεν quàm per διδάσκεν, v. 20. quæ duo sunt τῶ μαθητεύειν f. species f. gradus f. media. Nam per baptismum & infantes evadunt in Christi discipulos f. Christianos. Adulti ante initiationis sacramentum docendi quidem sunt, ut Abram, reliqui non item, ut Isaac. Gen. XXI. 4. Omnes, quoad genera singulorum, statûs, sexûs, ætatis, temporis, v. 20. ut & singula generum; In favorabilibus enim promissi favor latissimè accipiendus. Gentes, Quis de intentione Dei seriâ executioneque Apostolorum adæquatâ dubitet? baptizantes vos ordinariè; βαπτίζεν absolutè positum stat pro significato famosiori, i. e. lotionem per f. asperisionem, f. affusionem, f. intinctionem f. aliter factâ, Judith. XII. 7. Marc. VII. 4. Luc. XI. 38. Act. II. 41. Eb. IX. 10. Legitur quidem & Luc. XII. 50. βάπτισμα, sed quod angebat, & Matth. XX. 22. per calicem crucis exponitur. Econtrario h. l. is baptismus intelligitur, repetique & inter Gentes injungitur, qui jam ante aliquot annos institutus tanquam salutare ac necessarium sacramentum in Judæâ viguit. Joh. 1. 33. III. 5. IV. 2. uti & post in primitivâ Ecclesiâ pariter fuit administratus in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Si verò baptizare idem esset ac docere, μαθητεύσατε βαπτίζοντες, διδάσκοντες, mera esset ἀδολογία. Imò baptismus hujus loci non sequitur, sed antecedit τὸ διδάσκεν. ψ. 20. illos, omnes populos in contradistinctione ad Judæos, quorum tamen omnes masculi fuerant circumcisi in infantia. Modum enim colligendi conservandique Ecclesiam præscribere Christus intendit, qui modus in Ecclesiâ & primitivâ jam viguit, ubi familiæ integræ E. & infantes baptizabantur. Act. XVI. 15. 33. XVIII. 8. I. Cor. I. 16. Verba sequentia non demum ab Athanasio addita sunt, uti Blandratae visum, sed illa habent Patres Athanasio antiquiores. Ignatius Epist. ad Philad. f. m. 152 Justin: Apol. II. f. m. 94. Tertull. ad vers. Prax. c. II. f. m. 406. adde Lib. III. Constit: Apostol. c. 17. f. m. 288. & Canon, Apostol. II. f. m. 33. ut & ad illum Annot. Beveregii f. m.

468. in i. e. ἐν τῷ ὀνόματι, Act. X. 48. nectamen in nomina, sed modo nomen, clare pronunciatum in rei memoriam. I. Cor. I. 13. maximè autem in autoritatem, jussum, promissum. Matth. XVIII. 20. Marc. IX. 37. Joh. XVI. 23. gloriam, 2. Sam. VII. 23. Nomen dicit δύναμιν, ἐξουσίαν, meritum, luitionem. Act. III. 6. IV. 12. Baptizari verò in Dei nomen innuit autoritatem instituentis, perfectionis gratiæque promissionem ac stipulationem cultus ac obsequii. I. Pet. III. 21. Patris, paternum cor donantis, ἐξουσίαν adoptionis conferentis, obligationemque filialis obsequii poscentis. Tit. III. 5. I. Pet. III. 21. Apostoli quidem non leguntur baptizasse in nomine Patris, passim verò in nomine Filii, sed nulli exclusivè. Christi enim professio est totius Trinitatis confessio, qui Unctum nominat, & ungentem & unguentum involvit; Dein Lucas administrationis actum historicè refert, sacramenti formulam non exprimit. & æqualiter Joh. V. 17. series nominum non præjudicat Filio, qui 2. Cor. XIII. 13. Gal. I. I. vicissim præponitur Patri. Filii, à Patre ita distincti, Sponsi sibi animam desponsantis Jes. LXI. 10. coll. Eph. V. 25. originemque Baptismi ex latere testantis. conf. Rom. VI. 4. Gal. III. 27. Baptizamur in naturam ejus & humanam, sed ut ἐνπίστατον. Et æqualiter, Sancti Spiritus, Patri & Filio, imò & τῷ ὀνόματι, quod virtutem dicit, I. Cor. I. 15. contradistincti, Hospitis ac anathematis vivi in templo cordis sc. aquâ lustrati, Deut. XIV. 23. coll. I. Cor. III. 16. Joh. III. 5. Tit. III. 5. Sic Materia cœlestis Baptismi juxta Hulsei. Vindic. p. 468. Calov Syst. Part. IX. p. 166. & B. Osiand. Part. IV. Theol. Cas. p. 327. est tota S. Trinitas, quam ita probo: *Qui tres uno nomine & autoritate instituunt medium supremam beatitudinem consequendi, & insuper actionibus personalibusque nominibus distinguuntur, illi tres sunt Unus & Summus Deus I. Cor. I. 13. I. Pet. III. 21. in tribus personis distinctus. vel ita: Ubicunque sunt tres distinctè nominati, per copulativam numerati, emphaticâ articuli trinâ repetitione discreti, in quorum nomine jubemur*

*bemur baptizari, ibi & tres persona & Unus verus Deus naturâ,
quem characteres illi insignant. Atq; E.*

ψ. 20.

Docentes eos, quoscunque gentium ψ. 19. ad finem usque
obvios, en implicitum scriptionis mandatum. *servare*, in exer-
cicio renovationis; omnia vobis Præcepta, altum de traditio-
nibus silentium? Ecce, in dulce contra adeunda pericula sola-
tium timidis discipulis Christus abituriens suam promittit præ-
sentiam, de quâ ob abitum præcipuè dubitare poterant, sed ob
abitam præcipuè dubitare poterant non tam de Gratiâ, quam
substantiali præsentia carnis. Divinitatis enim præsentia, quâ A-
postoli jam ante confidebant, non erat promittenda de novo.
Ego, JESUS ψ. 16. Hoc pronomen non est Gratiæ, sed personæ
& quidem συνθετα, λέγει enim est ubique ενσαρκω, quod απο-
τέλεσμα officiale ad utramque naturam pertinens ipsi tribuitur,
secus ac Joh. VIII. 58. XIV. 28. ubi natura tantum altera describi-
tur. Imò secundum quam naturam Christus accepit omnem po-
testatem in cælo & in terra, juxta eum promittit hic fidelibus su-
am præsentiam. vobiscum, hæc promissio facta est non solis
Apostolis ad finem quippe non superstitibus, sed successoribus
singulis, imò toti Ecclesiæ ad finem usque duraturæ. *sum*, non
dicit, *operor*, sed *sum* ampliativè (uti de re instanti loqui in præ-
senti consuevit, Joh. XVII. II. XX. 17.) in ascensione. *sum* gratio-
se, præsentia gratiosa substantialem supponit. *sum* invisibiliter
e.g. per baptismum. A præsentia autem invisibili Sponsi ad inde-
ficibilitatem sponsæ visibilis, non valet consequentia: quum ean-
dem præsentiam gratiosam & Ecclesiæ Judaicæ condixerit. Ex.
XXIX. 45. Hæc promissio est categorica quoad Ecclesiam invisibi-
lem Electorum. Matth. XXIV. 24. Conditionata, quoad particulares
coetus visibiles. quotidie, quando itaque vicario opus est, qui
tantum absentis? usque, gratiosæ præsentia terminus erit glo-
riosa, I. Thef. IV. 17. ad seculi, eo Ecclesiæ invisibilis peren-
nabit, consumationem. substantialem. Cla-

Clarissimo Domino M. Kauffmanno

S. P. D.

P R Æ S E S.

Quis omnium mortalium unquam sapientior fuit *Mercatore* illo parabolico, qui vendidit omnia, ut unicam emeret margaritam? In Margaritâ enim Physici aliâs, præsertim Plinius H. N. Lib. IX. c. 34. f. m. 161. plurima laudant, nitorem, vim medicam, elegantiam, & præsertim pretium, apud Vofs. Lib. IV. d. Idol: c. 47. p. 1462. Bocharum Part. II. Hieroz. c. VI. f. 680. Et apud Suetum Cæsar Marci Bruti matri Serviliæ sexagies festertium margaritam mercatus legitur, i. e. ex Budæi supputatione, aureorum nostratum centum quinquaginta millium. Et centies festertium se cœnaturam professâ Cleopatra, quæ eidem sunt aureorum millia CCL., unam ex duabus margaritis, quas auribus gerebat, aceto diluit ac absorpsit. Quo minùs miror, margaritam hujus quoque parabola tantum fuisse emtam. Nec per hanc tamen intelligimus cum Fevardentio aureolas Martyrum. Parabola enim de Regno agit non gloriæ, sed Gratiæ, agnoscente id ipso C. Janenio f. h. l. sed in hoc unione parabolico Sapientiam exosulamur cœlestem omni lapide pretioso potiore. Job. XXXVIII. 18. Prov. III. 14. 15. VIII. 11. nec obijciendam porcis Matth. VII. 6. Uti enim margarita, sic Christus quoque candet. Sap. VII. 10. 26. 27. Eb. I. 3. illuminat oculos. Ps. XIX. 9. cor confortat. Ps. LXXIII. 26. totumque hominem ornat. Jes. XXXV. 2. Nec aliter Theophylactus: *Una pretiosa margarita est Christus, scribit f. h. l. sicut de Margarita traditur, quod in conchâ nascatur, quæ se aperit tempore fulguris & dein iterum claudit. Concipitur itaq, tum ex fulgure & rure, proptereaque candida est. Sic & Christus in Virgine conceptus est ex superno fulgure, Spiritu sancto sc.* Sapienter itaque & Tu, Clarissime Domine M. Kauffmanno, egisti, omnia tua margaritæ Hypostaticæ impendendo. Nec enim hæcenus Tuum defodisti Talentum, sed Scripturas S. *ἐπευῶν* quàm impigerrimè assuevisti, ut ex abdito Sapientiam erueres à seculis absconditam, Mercatorisque Nomen & Omen haberes. Expulit quidem vendentes & ementes Christus è templo; Nec non in Jure Canon: Distinct: LXXXVIII. c. 10. sequentia inculcantur: *Negotiari aliquando non licet; Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, factò jam non licet.* Tu verò, Clarissime Domine M. Kauffmanno, Mercaturam quàm facis in Academia, quòd mystica est, & in futuro urgere officio sacro haud dubita, sic enim non modo animatum plurimarum impetrabis lucrum, sed thesaurum quoque in cœlis habebis. Nec frustra erunt sumtus, quos in Te hæcenus Reverendus Tuus collocavit Dn. Parens, quèm meo nomine saluta ac pancraticè VALE.

a, fed
 Cor. I.
 March.
 23. No.
 6. IV.
 entis,
 tus ac
 orian
 i po-
 yantur
 ed nul-
 is con-
 volvit;
 menti
 num
 prae-
 m de-
 ismi ex
 mur in
 San-
 virtu-
 anathe-
 23. coll
 Bapstii
 166. de
 parita
 son su-
 onali-
 us De-
 relicta:
 merati,
 mine in-
 temur

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|--|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|----|---|----------|----|---|----------|----|----|----|----|----|----|----|----|
| A | 1 |  | R | 2 |  | G | 3 |  | B | 4 |  | W | 5 |  | K | 6 |  | G | 7 |  | M | 8 |  | Y | 9 |  | C | 10 |  | M | 11 |  | B | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|--|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|---|---|----------|----|---|----------|----|---|----------|----|----|----|----|----|----|----|----|



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

| | | | | | | | | |
|---|---|---|--|---|---|---|---|--|
| Black | 3/Color | White | Magenta | Red | Yellow | Green | Cyan | Blue |
|  |  |  |  |  |  |  |  |  |

